

accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quam assequuntur. Quos tamen internus iudex et provehit, et nescit: quia quos permittendo tolerat, profecto per iudicium reprobationis ignorat. Unde ad se quibusdam et post miracula venientibus dicit: recedite a me operarii iniquitatis, nescio qui estis. Pastorum imperitia voce veritatis increpatur, cum per Prophetam dicitur: ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Quos rursum Dominus detestatur, dicens: et tenentes legem nescierunt me. Et nesciri ergo se ab eis Veritas queritur, et nescire se principatum nescientium protestatur: quia profecto hi, qui ea, quae sunt Domini, nesciunt, a Domino nesciuntur, Paulo attestante qui ait: si quis autem ignorat, ignorabitur. Quae nimirum Pastorum saepe imperitia meritis congruit subjectorum: quia quamvis lumen scientiae sua culpa exigente non habeant; districto tamen iudicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Hinc namque in Evangelio per semet ipsam Veritas dicit: si caecus caeco ducatum praebet, ambo in foveam cadunt. Hinc Psalmista non optantis animo, sed prophetantis ministerio denunciat, dicens: obscurantur oculi eorum ne videant, et dorsum illorum semper incurva. Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, providendi itineris officium susceperunt: quibus hi nimirum qui subsequenter inhaerent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur; quia cum lumen scientiae perdunt qui praeceunt, profecto ad portanda peccatorum curvantur onera qui sequuntur.

CAP. II. NE LOCUM REGIMINIS SUBEANT, QUI VIVENDO NON
PERFICIUNT QUAE MEDITANDO DIDICERUNT.

Et sunt nonnulli, qui solerti cura spiritalia praecepta perscrutantur: sed quae intelligendo penetrant, vivendo conculcant; repente docent quae non opere, sed meditatione didicerunt: et quod verbis praedicant, moribus impugnant.